Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36545
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

di simulachrum et id genus omnia opificum. non
ne illud esse contendunt ad cuius quidque simili
tudinem factum est. A. Prorsus adducor. R. Iam ea
quibus vel dormientes vel furentes falluntur concedis
ut opinor in eo esse genere. A. Et nulla magis.
nam nulla tendunt talia esse qualia vel vigilan
tes vel sani cernunt. et eo tamen falsa sunt quod id quod
tendunt esse non possunt. R. Quid iam de turrium
motu vel de merso remo vel de umbris corporum
plura dicam? planum est ut arbitror ex hac regu
la esse metienda. A. Planissimum. R. Taceo de
ceteris sensibus: nam nemo considerans non hoc inve
niet falsum appellari in rebus ipsis quas sentimus nisi
quod aliquid esse tendit et non est. A. Recte dicis. Sed mi
ror cur ab hoc genere secernenda illa poe
mata et ioca visa sint ceteraeque fallaciae. R. Quia scilicet
aliud est falsum esse velle. aliud verum esse non posse. Itaque
ipsa opera hominum velud comoedias aut tra
goedias aut mimos et id genus alia possumus operibus
pictorum fictorumque coniungere. Tamen enim verus esse
pictus homo non potest quamvis in speciem hominis